ANTITHETON NUPTIALE,

Ingenuo, & Nobili Eruditione perculto Juveni,

DN. DANIELI ESKEN,

Grammatophylacii Inclytæ Thorunensis Curiæ Notario,

SPONSO,

Pariter atque

Castæ, Modestæ, Piæque Virgini,

DN. ANNÆ,

DN. JOHANNIS GIESEN,

Mercatoris qvondam Thorun. inter primos numerandi, derelictæ Filiæ,

SPONSÆ,

A

JOHANNE REZIK, Prof. Publ. & Visitat. Gymnasii Thorun.

Anno Christi Servatoris 1692. die 17. April.

Amica mente ma[illegible]que oblatum.

Flebile tempus erat nuper, dum reddita Mater
Illa tua est Cœlo, flebile tempus erat.
Langvebas nimio, *Genialis Sponse*, dolore,
Et tenuit lentus pectora lassa situs.
Commovit crudas in te fortuna procellas,
Nec poteras pacem mentis habere tuæ.
Luctu te justo quivis debere teneri
Credidit, & lacrymis ora rigare piis.
Quamvis stipasses valido sat robore pectus,
Quale refert Anyti fama fuisse reo:
Cederet attritum tantorum mole malorum,
Nec tantum hoc casu sustinuisset onus.
Desine nunc pigrum lacrymis urgere sepulchrum,
Lethæus nec jam nubilet ora dolor.
Damnum sensisti, sed rursùs damna resarcis,
Pro Matre exanimi corpora viva tenes.
Triste fuit mitem tumulo, scio, reddere Matrem,
Dulce sit in thalamo consociare jocos.
Triste fuit propriis natare in fletibus, at nunc
Dulce sit in pluma membra fovere levi.
Triste fuit matrem constrictam compede mortis
Cernere, dulce esto vincula pacta pati.
Triste fuit gelidos Matris spectare lacertos,
Dulce sit in Sponsæ jam recubare sinu.
Hæc tibi donata est vernali corpore virgo,
Quam pietas munit, virgineusque pudor.
Sat latuit, latuitque piè, est hæc forma pudicæ
Natæ, discinctas angulus omnis habet.
Currunt, concurrunt, accurrunt, atqve recurrunt,
Aufugiunt, furiunt, hicque venena coqvunt.
Hic certant lingvis, malè torqvent quod benè dictum,
Opprimere & possent Stentora voce ferum.
Succubuit nunquam vitiis tua Sponsa nefandis
Talibus, ut verè dicere fama potest.
Et tua qvæ fuerit virtus, *Doctissime Sponse*,
Dicere si vellem, multa loqvenda forent.
Complexa est virtus, fulvo preciosior auro,
Te, qvæ nunc miti prosilit ingenio.
Svave fuit doctâ tibi decertare palæstrâ,
Palladis & cellas exuperare domos.
Es gratus *Patribus Patriæ* (qveis optima tantùm
Sunt cordi) oblata est publica sparta tibi.
Sed qvò contendo? remorentur vota volucres
Pennas, est votis claudere carmen opus.
Jurgia, contemptus, violentaque damna facessant
A vobis, ne qvis gaudeat inde malus.
Te tua Sponsa colat, casu soletur amaro,
Nec pudeat Dominum te vocitare suum.
Non alios qværat, vagos nec spectet amores,
Te redamet juvenem, sustineatque senem.
Ante oculos statuat justo qvoqve tempore cunas,
In qveis componat pignora Conjugii.

Imprimebat JOHANNES BALTHASAR BRESLER.

(28)

H

Nobi

DN

I

Co

hoc ipso A

INIST

T

Impressit Joh.